

Definitionibus ecclesiasticorum dogmatum. Qui error insigneis aliquot uiros etiam inuoluit, uidelicet Lactantium, Victorinum, Seuerum, è Græcis Ireneum & Apollinarium, ceu Hieronymus autor est exponens Ezechieli caput xxxvij. Hos quidam Milliarios uocant. Opus uero de spe fidelium, in quo uerissimum est hoc ab illo astrui, hodie non extat, citatur tamen à Hieronymo loco quo diximus. Porro huius libri nonnulla capita reperiuntur in uolumine quod scripsit aduersus Iudeos, quædam in libro de carne CHRISTI, ut nescias an hinc illuc transtulerit, an ediuerso. Habebat autem olim eruditæ certos locos paratos, quibus ubilibet uti poterat, si exigeret materia.

## Q. SEPTIMII FLOREN TIS TERTULLIANI, AD VERSUS MARCIONEM LIBER TERTIVS.



ECVNDVM uestigia pristini operis qd' amisum reformare perseueramus, iam hinc ordo de CHRISTO, licet ex abundantia, post decursam defensione unicæ diuinitatis. Satis etenim præiudicatum est, CHRISTVM nō alterius dei intelligendum, quām creatoris, cum determinatum est, alium deum nō credendum præter creatorem, quem adeo CHRISTVS prædicauerit, & deinceps Apostoli non alterius CHRISTVM annunciauerint, quām eius dei quem CHRISTVS prædicauit, id est creatoris, ut nulla mentio alterius dei, atq; ita nec alterius CHRISTI agitata sit, ante scandalum Marcionis. Facillime hoc probatur Apostolicarū & hæreticarum ecclesiarum recensu: illic scilicet pronunciandam regulæ interuersione, ubi posteritas inuenitur. Quod etiam primo libello\* intexuisset & nūc con-  
gressio ista seorsum in CHRISTVM examinatura, eo utiq; pficiet, ut dum Fort. \* intxxi. Sed  
CHRISTVM probamus creatoris, sic quoque deus Marcionis excludatur. Decet ueritatem totis uiribus uti suis, non ut laborantem. Cæterum in præscriptionum compendijs uincit. Sed decretum est ut gestientē ubiq; aduersario occurrente, in tantū furenti, ut facilius præsumperit eum uenisse CHRISTVM, qui nunq; sit annunciatu, quām eum qui semper sit prædicatus. Hinc deniq; gradū consero, an debuerit tam subito uenisse. Primo, quia & ipse dei sui filius, hoc enim ordinis fuerit, ut ante pater filium profiteretur, quām patrem filius: & ante pater de filio testaretur, quām filius de patre. Dehinc & qua missus præter filij nomen. Proinde enim præcessisse debuerat mittentis patrocinium in testimonium missi, quia nemo ueniens ex alterius autoritate, ipse eam sibi ex sua affirmatione defendit, sed ab ipsa defensionem potius expectat, præeunte suggestu eius, qui autoritatem

r præstat.